

Sammelband G.

M  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21



Auspiciis Sacrosanctæ & individuæ Trinitatis

*Exercitationum Erbicarum*

Disputatio Octava

De

# JUSTITIA.

*In Inclÿta Jenensi Academia publicè  
proposita,*

PRÆSIDE

M. HIERONYMO PRÆTORIO

Hamburg. Phil. Pract. Profess. P.

RESPONDENTE

HIPPOLYTO HUBMEIERO

Gottingensi-Sax.

*ad diem 24. Decemb.*

in Auditorio majori.



J E N Æ

TYPIS VIDUÆ WEIDNERIANÆ,

ANNO 1628.

45.

AL.



etiam in T. sub V. P. R. I. S.

*Magnificis Nobilissimo, Amplissimis, Cla-  
rissimis Consultissimis Gravissimisq;*

**Dn. MARCO GERSTENBERGIO**, HERE-  
ditario in Schwerstädt / Drackendorff / Altenranstädt /  
Priestebütz & Wüsted / Consiliario Saxo-Altenbur-  
gico emeritissimo.

**Dn. HENRICO GEBHARDI** aliàs **WESENE-  
RO**, JCo longè laudatissimo, Illustris ac Generosis-  
simi | **Dn. Dn. HENRICI** Junioris ac p. t. Senioris,  
**Dn. à Plawen** &c. Cancellario Gravissimo, Spectatiss-  
simo.

**Dn. JULIO** *Marches* / **V. J. D** eximio, Curia Provin-  
cialis in almâ Salanâ Advocato Celeberrimo, &  
Consiliario Rudolphopolitano-Melapyrgico Con-  
siliario intimo, dignissimo.

*Dnn. Mecenatibus, Patronis, Avunculo, Promotoribus  
ac favoribus suis observantia & reverentia cultu æ-  
terno, perquam humiliter, filialiter et atemq; pro-  
sequendis, officiosè colendis.*

In

Gratæ mentis signum  
Studiorum suorum testimonium  
Debitæ subjectionis symbolum  
Ulterioris favoris ac promotionis incitamentum  
Felicissimum ineuntis novi anni auspiciam.

*Hosce flores, odores Academicos, Ethicos,*

*submisit*

Mittit, Offert, Dedicat

**H. H. G. S. Respond.**



## TITULI ULTIMI

### De Justitia

### SECTIO I.

De

### Justitia universali & particulari.

THESIS I.



Intelligimus hic justitiam *non Evangelicam*, sive *fidei*, sed eam quæ in communi hominum inter se societate cernitur, & hæc secundum Philosophum 5. *Ethic. c. 1. & 2.* sumitur duobus modis, ac utroq; est quodammodo ad alterum. Uno pro actu cujuscunque virtutis non qua talis est, sed quatenus ordinatur ad commune bonum multitudinis, cujus pars est ille, qui eam exercet. Et sic sortitur formalem rationem justitiæ latè sumptæ, omnibus quæ virtutibus communis (*non quidem* per essentiam quasi sit de ratione intrinsecæ cujusque earum, sed quia comitatur omnium virtutum actus, cum in qualibet virtute occurrat aliqua ratio justiti) & pro objecto agnoscit *justum* ea in acceptione, *ut est idem quod legitimum*, h. e. lege præceptum, legive consonat; cui adversatur *injustum*, quo is qui à lege discedit *injustus* dicitur. *Hanc ad justitiæ speciem pertinent tria illa juris præcepta: honestè vivere, alterum non lædere, suum cuique tribuere* l. *justitia 10. ff. de I. & I. §. juris præcepta Inst. de I. & I.*

2. Altero modo sumitur Justitia ut est particularis à reliquis specie distincta virtus in ordine ad alterum; *cujus objectum est justum* pressè ac propriè sumptum, *ut est idem*, quod æquum,

æquum, iniquo, quod injuriam involvit oppositum. Id quod non tantum docet *Thomas 2. 2. q. 53. art. 1.* sed & consentiunt, *Aristoteles, Ulpianus & Justinianus.* Ut enim ille libro & cap. 1. all. justitiam per habitudinem ad suum objectum definiens, dixit esse habitum, quo homines apti sunt ad res justas agendas & quo justa agunt & volunt; sic quoque *Ulpianus l. & t. ac Imperator in princ. l. cit.* definiens similiter justitiam per habitudinem ad objectum dixerunt esse constantem & perpetuam voluntatem jus suum unicuique tribuentem. Quia itaque objectum justitiæ est jus, & actus, potentiæ ac habitus per sua objecta definiantur, ordiendum nobis est à juris explanatione.

## SECTIO II.

### De objecto justitiæ jure scilicet in genere.

1. *Rudolphus Agricola lib. de inventione Dialectica,* docet jus à jussu ductum, ablatione posterioris syllabæ. Qua ratione & antiqui jura, jussa nuncupare consueverunt, ut inquit *Pomponius Festus,* quem refert *Franciscus Conanus in commentariis juris civil. lib. 1. cap. 2.* hac vero ratione, non tam explicatur significatio nominis, quatenus denotat id, quod justum est & objectum justitiæ, quam prout significat legem: lex enim generale quoddam jus superioris dicitur. Quocirca definiens *Agricola loco citato jus, ait, esse decretum majoris potestatis.* an vero id ipsum de omni lege & præsertim naturali verum disputant *Scholastici.* multi sanè passim asserere non dubitant, naturalem legem non consistere in aliquo imperio, jussu aut judicio superioris.

2. *Ulpianus in princip. ff. eod.* jus à justitia appellatum dicit. Quæ verò sit ratio hujus derivationis non est satis perspicuum. Sanè si *Grammaticorum Regulam* attendamus, potius justitia à jure quam jus à justitia derivatur; justum enim dicitur quod est secundum jus. Qua ratione *Cicero 2. de nat. Deorum* reprehendit eos, qui dicebāt *Venerem* à venustate dictam, cum  
tamen

tamen Venustas à Venere dicatur, quasi in ea Venus stet. potius ergò justitia à jure derivatur, quasi in ea jus stet. Neque semper derivatio objecti ab habitu sumitur, sed & à potentia &c.

3. Ratione significationis vocabulum juris est ambiguum. *Accipitur* interdum pro facultate potestateve, quam ad aliquid homo habet. quo pacto dicimus aliquem jure suo uti. *Usurpatur quoque* interdum pro loco, ubi jus redditur, aut ubi iudex jus dicere consuevit *l. penult. ff. de I. & I.* qua significatione dixit Terentius, *in jus ambula.* Sumitur etiam aliquando pro necessitudine *l. ult. eod.* & sic conjunctionem sanguinis jus vocamus cognationis. *Moderno loquendi modo* jus sumitur pro lege, & indiscriminatim nomine juris & legis utimur. *Diciturque* jus esse *vel naturale vel positivum, hocque* Divinum & humanum; humanum *vel gentium, civile, canonicum.* De naturali, gentium & civili nobis hic potissimum agendum.

### SECTIO III.

#### De jure naturali, gentium & civili.

1. *Ulpiano l. 1. §. 3. t. a. dicitur jus naturale* quod natura omnia animalia docuit, *gentium* quo gentes humanae utuntur quod à naturali recedere ait §. 4. licet facile intelligere, quia illud omnibus animalibus, hoc solis hominibus inter se commune est. Quam distinctionem & approbavit Imperator *in princip. & §. jus a. civile. Instit. de jure N. G. & C.* Sed non tantum Philosophi, verum & magni nominis Jcti aliquanto licentiùs & non satis accuratè (forte ut deservirent teneris studiosorum ingentis & populariter rem explicarent) Ulpianum & Imperatorem locutos esse existimant; cum absolum videatur, jus aliquod extra rationem subsistere & illud commune constituisse belluis & hominibus.

2. Ut verò veram juris naturæ & gentium eruant naturam cum *Thoma 2. 2. alle. quest. 57. art. 3. supponunt*, naturam humanam dupliciter posse considerari: primum secundum se &



absolutè absque ulla civili societate & republica: Deinde pro-  
ut in republica communi vitæ consuetudine degit. Jam asse-  
runt: Jus naturale illud dici, quod convenit naturæ rationali  
secundum se considerata absque ulla societate civili: jus autem  
gentium, quod convenit naturæ rationali in societate civili cõ-  
stitutæ. Sive: jus naturale esse, quod ex instinctu naturæ ratio-  
nalis, omnibus hominibus inter se commune est. Jus gentium  
quod ex consensu populorum illis omnibus aut ferè omnibus  
commune est, hoc ad jus naturale pertinent omnia præcepta  
quæcunque recta ratio ex instinctu naturali dicitat servanda,  
esse ut Deum colendum, parentes honorandos &c. ad jus gentiũ  
quæ in civili societate populorum consensu constituta sunt, ut  
divisio bonorum, dominia, bella, servitutes &c.

3. Ex quo sequitur 1. jus naturale esse apud omnes unum  
atq; idem. Sicut enim natura rationalis qua talis in omnibus  
hominibus est eadem, ita etiam immediatum ipsius consequens  
quod est jus naturæ in omnibus idem esse debet, præsertim quo  
ad universale illius pronunciatum: Bonum esse prosequendum,  
malum esse fugiendum, ex quo omnia reliqua juris naturalis præ-  
cepta deducuntur, quæ idcirco, per se nota sunt, licet non omni-  
bus. Quando enim ex iis principiis quæ ad legem naturæ perti-  
nent, unum vel alterum à nonnullis vocatur in dubium, aut et-  
iam negatur ex accidenti hoc fit; ex prava scilicet consuetudi-  
ne, aut errore, aut etiam ex pertinacia, vel alio aliquo affectu  
impediente, quo minùs rationes ipsæ terminorum, quibus  
propositiones juris naturæ constant, vel intelligentur, vel certè  
expendantur, uti requiritur. Hoc autem non obstat, quo minus  
omnes propositiones, quæ verè sunt legis naturæ, per se sint evi-  
dentes, quibus nullo accidenti præpediti homines naturaliter,  
h. e. necessariò assentiantur. Nec est ut ab quis objiciat. Principia  
omnia juris naturæ non admittere prædicatum quod sit de in-  
trinseca subjectione. (Imò ne universalissimum quidem. Bo-  
num est sectandum. Per prædicatum enim significatur appetitio  
boni, quæ tamen non est de intrinseca ratione boni) & sic non  
esse per se nota. Etsi enim propositio cujus prædicatum est de  
intrinseca subjectione, sit per se notà, latius tamen patet  
et al. mutandis. ratio  
-olda



ratio propositionis per se notæ. Est enim illa cui ut assentiamur, naturaliter sumus determinati, *sive* hoc proveniat ex connexionione intrinseca prædicati & subjecti, *sive* ex sensu sive ex alio quodam principio. & hac ratione propositiones aliquæ juris naturalis censentur esse per se notæ licet prædicatum in istis non sit de intrinseca ratione subjecti.

4. Secundo sequitur ex dictis *jus natura in sese* ( materia enim juris propter aliquam circumstantiam occurrentem interdum mutari potest) *esse immutabile.* est enim naturale dictam in rectæ rationis, quod ubique & semper immutabile existit: quia fundatur in natura rationali, quæ semper eadem & immutabilis est. *Quæ ut rectè intelligantur notandum jus naturale dupliciter dici. Unum jus iustitiæ, alterum jus utilitatis.* Jus iustitiæ illud est, quod non tantum aliquid fieri permittit, sed etiam ita jubet, ut oppositum injustum sit & iniquum. Hoc jus utpote regula justii & injustii, virtutis & vitii est æternæ veritatis & nulla ratione mutari potest. *Jus autem utilitatis illud est,* quod neque est regula justii & injustii, virtutis & vitii, neque aliquid ita jubet, ut oppositum peccatum sit, sed solum liberam concedit facultatem utendi re aliqua tanquam utili, imò etiam tanquam honesta: ita tamen ut illa uti vel non uti non sit inhonestum, *tale est jus dividendi agros, & possessiones.* Hanc nostram distinctionem Covarruvias in regula peccatum, *secunda parte § II. n. 3. cum aliis notavit aliter.* appellat enim quoddam jus naturale *positivum*, quia positive præcipit aliquid aut prohibet: aliud autem *negativum*, quia nec præcipit nec prohibet, sed permittit. *Quando itaque quaeritur anne jure natura omnia sunt communia?* R. omnia esse communia hoc jure negativè h. e. non quidem esse divisa jure naturæ, sed tamen permissum ut dividerentur, si id ipsum utile & expediens generi humano videretur. *Non aliter ac cum Paterfamilias moritur, & filios in commune relinquit hæredes:* hæreditas quidem eis ex testamento communis est, sed negativè non positivè. Ideò nihil prohibet, quo minus inter se eam dividant, & una pars unius, altera alterius efficiatur propria. Eodem modo *& libertas* est de  
autqi jure

jure naturali negativo, seu permissivo, non tamen sub præcepto naturali. *rectè dicit Covarruv. l.a.* per jus gentium, quo introducta est servitus seu appropriatio rerum, derogari jure naturali, non præcipienti sed permittenti libertatem & communitatem rerum.

6. Quamvis itaque juri naturali prohibenti aut jubenti servatis omnibus circumstantiis derogari nullo modo possit; in quibus tamen nihil præcipit, sed permittit, jus gentium certi quid constituere poterit. Dixi *servatis omnibus circumstantiis.* Si enim ea, quæ propositionibus magis particularibus legis naturæ, præscribuntur, considerentur *materialiter & præcisè*, quatenus absolute sunt quædam actiones, variationem admittere videntur. *Si verò considerentur plenè* secundum omnem suam rationem, quatenus oportet ea executioni mandari undique justè & rectè attentis omnibus circumstantiis, sic æquè videntur propositiones particulares juris naturæ esse immutabiles ac communissimæ *e.g.* dictamen illud, *quod sint deposita reddenda*, si nihil aliud, quam actum istum absolute præscriptum attendamus, constat, non ubique suam habere veritatem. *Si autem* animadvertamus ex vi ejus præcepti debere reddi deposita, non nisi rectè & justè, quando & sicut oportet &c. semper stat firmum & immobile. Nunquam enim fuit juris naturalis furioso gladium restituere, ac proinde nulla hac in re facta est mutatio. Imo sicut nunc dictitat ratio uaturalis, ita & semper dictavit, non esse furioso reddendum gladium.

7. Tertio ex dictis sequitur *quod jus natura, nunquam obligare desinat.* Oritur enim ipsius obligatio ex ipsa natura humana. hæc autem mutari non potest. Ergo nec illud: & sic semper ac ubique obligat. *Observa autem præcepta juris naturalis non esse ejusdem generis.* Quædam simpliciter obligant, nullisq; circumstantiis obligatio illorum tolli potest. Ita colere idola ita malum est, ut nulla circumstantia possit fieri benè, aut non malè. eodem modo se habet mendacium, perjurium, odium Dei, ita ut impiâ non immeritò reputetur sententia *Ockam. in 2. quest. 19. & Petri de' Aliaco in 1. quest. 14.* qua volunt potuisse Deum de absoluta potentia præcipere hominibus odium sui  
ipsum

ipfius & alia quævis contra legem naturalem. *Alia non obli-*  
gant simpliciter, fed sub certis circumftantiis; ideoque manen-  
tibus iftis circumftantiis, obligant, fublatis & obligatio definit.  
ita præceptum non occides obligat fub his circumftantiis, fci-  
licet privata authoritate & extra cafum neceffariæ defen-  
fionis.

8. *Cæterum cum propter varios diverfosq; ex hominum*  
fuccedente pravitate cafus emergentes, in quibus quid jus na-  
turale præcipiat ftatim videri non potuit, ideò evenit, ut homi-  
nes jura alia præter jus naturæ planè neceffaria condiderunt. .  
ita gentes jus fibi quoddam per *ratiocinationem five modum con-*  
*clufionis* in refpectu ad civilem focietatem conftituerunt, quod  
jus gentium vocant, e. g. Legatos etiam ab hoftibus miffos efle,  
pacificè fufcipiendos, conclusio eft juris gentium; quoniam  
fequitur ex principio evidenter naturâ noto: fervandum fcili-  
cet id efle, quod confert ad promovendum & tuendum bo-  
num Reip. ftatum. Unde & gentes in eam conclusioem ut &  
alias ex fimilibus naturæ principiis deductas facilè confenti-  
unt. *Omnium tamen* gentium confenfus ut adfit, non ita necef-  
farium eft. Licet enim barbara aliqua natio non uteretur ea re  
qua reliquæ communiter utuntur, id non impediret, quo mi-  
nus ea de jure gentium eflet.

9. Cum verò nondum omnibus querelis jus gentium  
mederi poffet, *jus civile* tandem eft inventum, quod fcilicet  
quisq; populus præter jura naturalia & gentium fibi conftituit.  
*l. 9. ff. de j. & j.* & colligitur partim ex natura, partim ex hu-  
mano judicio *l. 6. d. t.* non quidem mero, fed longa ab ex-  
perientia & prudentia informato; *non per viam conclusiois,*  
*fed per determinationem* generalis principii ad fpecialem,  
e. g. Quia jus naturale præcipit malefactores efle punien-  
dos, continendos efle cives in officio, dirigendos etiam  
homines fecundum virtutis tramitem, eligit princeps hoc aut  
illo modo, per hanc aut illam viam fecundum virtutem fubdi-  
tos gubernare, & fic hæc propositio. *Omnis delinquens punien-*  
*du* *l. 1. ff. si is qui testament, lib.* fundamentum habet in natura,

*habentur ad contentum factum civium reducit. Per hoc au-*  
*tem*

*hæc verò, Adulter, homicida gladio puniendus, fur suspendio, in humana prudentia, determinando scilicet formam communem pœnæ justæ, ad talem pœnam justam. & sic jus civile naturale nunquam corrumpit, sed determinat. Quod si aliquando abire ab ea longius videtur, rationem tamen habere debet, quæ id quod præscribit respectu alicujus circumstantiæ faciat justum. Durum sanè videtur præscriptione amittere rei propriæ possessionem; sed ne longissimo tempore dominia rerum incerto possessore jactentur, consultius est paucorum damno publicæ quieti prospicere.*

10. *Qua de causa & alia ratione sese habet obligatio juris naturalis, alia verò juris civilis. Obligatio enim illius oritur ex natura objecti, indeq; se diffundit in præceptum. Ita dici consuevit, quæ sunt juris naturalis, prohibita esse quia mala, & non ideo mala esse, quia prohibita: similiter in bonis, iusta esse, quia bona & necessaria ut fiant, non autem ideo esse bona, necessariaq; ut fiant quia iusta. E contra verò obligatio juris positivi oritur a præcepto & voluntate præipientis, indeq; derivatur in objectum. Undè dicimus de iis quæ juris sunt positivi, ea mala esse, & inhonesta quia prohibita, & non ideo prohibita quia in sese mala ac inhonesta: item esse bona, & honesta, quia imperata, non ideo imperata quia de se bona & honesta. Licet enim omne quod jure positivo civili præcipitur debeat esse honestum & justum, secundum naturalem rationem, conveniens naturæ rationali; non tamen omne quod hoc jure præcipitur, ita ex se debet esse honestum ac justum, antequam præcipitur, ut necessariò faciendum & oppositum inhonestum ac injustum sit.*

11. *Hoc ad jus refertur consuetudo quæ vim legis habere dicitur, si scilicet consentiat ille summam in Rep. qui tenet potestatem. Nulla enim consuetudo repugnante principe aut Republica, aut tacitè non consentiente, vim habebit juris, ita docet Hermogen. l. sed & 35. ff. de ll. in qua dicitur: Ea quæ longa consuetudine comprobata sunt, & per annos plurimos observata velut tacita civium conventio, non minus quam ea, quæ scripta sunt, jura servantur. hîc vim consuetudinis, ut pro lege habeatur ad consensum tacitum civium reducit. Per cives autem*

tem

tem intelligit Rempublicam penes quam potestas est conden-  
di leges. Clarissimè tamen idem tradit *Julian. in. l. de quibus. eo-*  
*dem*, ubi reddens rationem ob quam consuetudo habeat vim  
legis sive juris. Sic ait: Nam cum ipse leges nulla alia ex causa  
nos teneant, quam quod iudicio populi receptæ sint, meritò &  
ea, quæ sine ullo scripto populus probavit, tenebunt omnes.  
Nam quid interest, suffragio populus voluntatem suam decla-  
ret an rebus ipsis & factis? Ubi nomine populi approbantis  
consuetudinem intelligit populum non agnoscentem superio-  
rem & summam habentem potestatem.

## SECTIO IV.

### *De medio justitiæ.*

I. *Medio distinguitur justitiæ à reliquis virtutibus.* Uti  
enim rectitudo harum consistit in habitudine quadam & com-  
mensuratione ad ipsum operantem, sic etiam earum medium,  
in recta habitudine ad ipsum cernitur. In justitiæ verò medi-  
um situm est in commensuratione ad rem alterius, non in com-  
paratione ad agentem. Tantum enim justitiæ reddere præcipit  
quantum quis alteri debet non plus minusve: siquidem hoc  
modo astruitur æqualitas inter homines, quæ tum demum ex-  
istit, cum nullus ultra aut citra id quod suum est, obtinet. Atq;  
ut hoc discrimen indicetur, medium virtutum reliquarum ap-  
pellari solet *medium rationis*, justitiæ verò *medium rei*. Non  
quasi medium illarum nullo modo cernatur in re: est enim tem-  
perantia in cibo & potu occupata; sed quia medium in illis  
non præscribatur, neq; cognoscatur præcisè ex conditione si-  
ve qualitate rei, sed ex habitudine ejus ad operantem conside-  
ratis variis circumstantiis (*e.g.* in temperantia alia quantitas  
cibi & potus est medium respectu hujus, alia respectu alterius.  
Homines enim multum in eo variant, quod aliqui sint corpu-  
lenti & staturæ grandioris: alii graciles exiguique corpusculi.  
Illis pro victu multum opus est alimentorum, his parum suffi-  
cit: ut cum gracilis tantum absomit quantum corpulento suf-  
ficit, jam tum modum excessit; corpulentus vicissim tantum.



absumens, quantum alteri sufficit, in defectu peccare potest) Medium autem justitiæ existimetur ex rei (suo tamen modo medium etiam rationis dici potest, quatenus scilicet à ratione denominatur ex rei conditione) quantitate, sive Arithmetica sive Geometrica.

2. Nam cum *justitia particularis* sit duplex una *commutativa*, quæ versatur in commutatione, venditione, stipulatione, conductione &c. secundum proportionem dati & accepti; *altera distributiva*, quæ cernitur in distributione præmiorum & pœnarum juxta proportionem meritorum, ita scilicet, ut quæ est proportio meritorum unius ad merita alterius, eadem sit proportio præmiorum ad præmia; *sit ut medium rei sit in proportione vel Arithmetica vel Geometrica.* In justitia enim commutativa servatur medium in proportione Arithmetica, ut nimirum nullo habitu respectu personarum constituatur æqualitas inter rem & rem unius personæ ad aliam: ut inter debitum & solutionem, inter datum & acceptum. *E contra* tunc solum justitia distributiva locum habet cum servatur æqualitas geometrica, quam Aristotel. docet esse inter duas personas & duas res distribuendas 5. *Eth. cap. 3. ubi ait*: Justum igitur (loquitur autem de distributivo) in minimis quatuor consistat necesse est: homines enim, quibus est justum, duo sunt, & res in quibus & ipsæ duæ sunt: ita ut qualis est proportio dignitatis inter personas, talis sit inter res quas accepturi sunt. e. g. si fuerint distribuendi mille coronati, in *Davidem* 10700. & *Saulem* 1000. hostium Philistæorum cedentem, duplex instituenda fuerit *comparatio*: quarum prior comparet virtutem cum virtute, & utriusque ad alteram proportionem conferat; eaque habebit taliter: *sicut se habet unum ad decem, sic virtus Saulis ad virtutem Davidis.* Posterior comparatio confert præmium cum præmio, ut ita se habeat *præmium Saulis ad præmium Davidis, sicut virtus & factum illius ad virtutem & factum hujus.* Comparationem ergo sic instituo: David cecidit decem millia, Saul percussit mille: juncta conficiunt undecim millia. In partes ergo undecim divido & præmium, emergetque pars quævis

90  $\frac{1}{3}$  tantum tribuetur Sauli, decies verò plus Davidi hoc est,  
909  $\frac{1}{3}$ .

3. *Ita se habet proportio in justitiâ geometrica.* Nam licet fortassis aliâ virtutes servent illam æqualitatem, ob id tamen negari nequit eam esse propriam justitiæ distributiâ, hac scilicet in materia. Neque enim dicimus æqualitatem illam geometricam in quibusvis rebus esse objectum justitiæ distributiâ, sed solum in materia juris ad alterum.

4. Ut vero medium hujus virtutis accuratius cognoscamus & aliud, præter allatum, thesi 1. discrimen à reliquis virtutibus observandum est. hæ enim non modò versantur in medio effectivè, ut ita dicam, scilicet constituendo modum in operationibus affectuum, *verum etiam* secundum essentiam medium sunt inter duo vitia extrema, quorum quodlibet opponitur eidem virtuti, unum per excessum, alterum per defectum. *At justitiâ* non ita est secundum se medium inter duo vitia, quorum utrumq; ipsi opponatur: Nam *quando* disceditur à justitiæ medio per excessum, *scilicet*, quia redditur debitum alteri, secundum aliquam circumstantiam pravam, *aut* quia plus uni datur quam alteri, *vel* plus accipitur quam sit datum; *tunc*, inquam, etsi peccetur per excessum, non tamen propriè peccatur hoc modo contra justitiâ. Si enim excessus tantum est in circumstantiis pravis, salva rei æqualitate, tantum peccabitur contra prudentiam, vel aliam virtutem. *Similiter* cum excessus est in eo, quod plus uni quam alteri datur, peccatum injustitiæ quod tunc committitur, non cernitur formaliter & propriè in eo, quod plus uni quam alteri datur, sed in eo, quod cum hoc ipso conjunctum est: *scilicet*, ut minus obveniat alteri quam oporteret secundum justitiæ æqualitatem. *Atq;* ita propriè loquendo non est nisi unicum vitium formaliter quod justitiæ opponatur, per defectum scilicet à medio justitiæ recedens. Quando verò materia alterius cujusdam virtutis *verbi gratia temperantiæ*, prave usurpatur, *sive* peccatur in excessu *sive* defectu, contra eandem virtutem error occurrit, quia *ut diximus*, rectitudo illius consistit in commensuratione quadam

sive habitudine ad ipsum operantem consideratis omnibus circumstantiis. atque ita hæc rectitudo utroque modo corrumpitur scilicet per excessum & defectum, quoad circumstantias convenientes.

## SECTIO V.

### De æquitate.

1. *Vocabulum æquitatis* aliquando sumitur pro *justitia in universum*, & ita usurpatur ab *Ulpian.* in l. 1. ff. de pactis cum dicit: *hujus edicti æquitas naturalis est*, h. e. decretum hoc naturâ sua justum est. hoc in loco à nobis sumitur pro *legis correctione & interpretatione*, & in hoc sensu *Aristoteles* 5. *Ethic. ca. 10.* ejus naturam explicaturus ait, æquum quid esse melius justo, & æquitatem justitia; non quidem justo & justitia simpliciter, sed justo quod peccat. Sumit enim justum ibi pro eo quod jure quocumque humano scripto præcipitur, quod est justum Universale, & justitia eodem modo. Cum autem necesse sit jus ferri in universum, jus enim universale esse debet; & fieri non possit, ut humana prudentia singulis casibus jure universali sufficienter provideat, efficitur ut aliquando erret. Et quamquam legislator fortassis probè perspectum habeat jus suum aliquando defecturum: nihilominus justum censendum est illud; quod ut plurimum locum habeat, & peccatum aliquod non in ipso jure sed in natura rerum, quæ variè contingit, occurrat. Ipsa igitur natura æqui & æquitatis est, inquit *Philosophus*, emendatio juris sive legis ex ea parte qua lex deficit: quia interpretatur jus in contrariam partem propter circumstantias aliquas occurrentes, ut si legislator adesset, eodem interpretasset modo.

2. Hæc sunt quæ *Aristot.* ferè dicto loco de æquitate docet, ex quibus sequentia deducimus 1. *æquitatem à jure multum differre.* Jus per se rigorem legum exigit, *æquitas* benignè jus explicat, non tamen in fraudem alterius. Jus de facto præcipit generaliter, *æquitas* casus speciales moderatur, & in circumstantiis occupata est: juxta quas vel maximè decreta insti-

tui



tui oportet. Si enim interdum non attendantur, *summum jus fit summa sæpè injuria*, ut loquuntur, e.g. lex est, ut nemo sub pœna capitis furtum committat. Eccè pauper, alioquin probus, egestate impulsus, tres quatuorve tritici vel hordei mensuras vicino furto abstulit, accusatur idcirco capitis. Si verba legis respicias, est condemnandus & supplicio afficiendus, si verò æquitatem consulas, aliud suadet.

3. 2. *Æquitatem solum habere locum in jure humano positivo non naturali.* Hæc ut intelligas *observa duplicem esse alicujus legis sive juris interpretationem, unam simplicem*, qua tantum mens legis vel legislatoris in aliquo casu particulari, quam revera habuit in condendo jure; *altera per æquitatem*, quam mens legislatoris quam habuisset in aliquo casu particulari, si illum prævidisset, explicatur. hanc hujusquæ est loci *aliàs vocant emendationem seu correctionem legis ex æquitate factam, in aliquò casu particulari in quo lex deficit.* illamque in jure naturali locum habere non posse dicimus. *hoc enim non præcipit aliquid nisi cum circumstantiis debitis.* Positis itaque circumstantiis deficere non potest: non positus, dicitur quidem non habere locum, non tamen deficere. *Prima interpretatio juri naturali non in totum denegatur, quia vir sapiens & prudens mentem juris naturalis interpretari valet.* *In lege verè humana utraque interpretatio locum habet.* Prior certa est: altera ex eo constat, quod legislator legem cum condit pro tota communitate, omnes circumstantias & particulares casus qui eventuri sunt prævidere nequit, & sic legem suam singulis accommodare. Illis ergo casibus oblatis deficit. qui defectus supplendus est ex æquitate. Quod si casus evidens est, æquitas cuiq; licita est. *ut in hoc exemplo à Thoma in 2. 2. q. 120. art. 1. allato.* si tempore obsidionis lata esset lex ut civitatis portæ nulli aperirentur: contingeret autem ut hostes cives nonnullos cum manifesto vitæ ipsorum periculo insequerentur, nec aliud illis præter civitatem esset refugium; ibi sane expressè & evidenter contra legem æquitas locum habitura esset, & portæ aperiendæ. *Si autem casus non est evidens, distinguunt Scholastici.* Si privatus est in utramque partem æquè dubius & non patet accessus ad superiorem,

riorem, tenebitur facere secundum legem, ut vitet peccatum, contra conscientiam dubiam. *Si autem in alteram partem probabiliter inclinet, tunc si locus est recurrendi ad superiorem, propter rei incertitudinem recurrere debet. Si autem res non patiatur moram, ipsum ex opinione sua facere posse asserunt, quia necessitas non aliud concedit. Sed quid de illis statuendum in ipso disputationis actu videbimus.*

4. Cajetanus totam hanc rem satis acutè explicat *in 2.2. q. 120. art. 1. all. ubi docet primum æquitatem non habere locū nisi ubi lex manifestè deficit. quasi dicat; non in casibus dubiis sed manifestis adhibendum esse iudicium æquitatis contra legem. Deinde asserit, dupliciter deficere legem aliquam universalem, uno modo negativè, altero contrariè. Tunc deficit, inquit, negativè, quando accidit casus, in quo ita deficit ratio legis, ut nihilominus si fervetur lex, nihil fiat mali. Tunc autem deficit contrariè quando contingit casus, in quo non tantum cessat ratio legis, sed etiam si fieret id quod lege præcipitur, peccatum esset. Hac igitur distinctione præmissa, docet Tertio, æquitatem contra legem non habere vim, quando lex solum deficit negativè; tunc verò adhibendam esse æquitatem quando lex deficit cōtrariè: subjungit subsequens exemplū: lex est quæ irritat clandestina sponsalia ut obviari possit fraudibus, litibus, cōtentionibus &c. verum si aliquando cessarent hæc omnia incommoda, hoc est cessare legem negativè: Nihilominus lex illa contra sponsalia clandestina obligat, neque æquitas illa locum habere videtur. Si verò in deposito quis habet enssem alterius, ille autem ad occidendum alium repetat, ratio legis de reddendo depositum, cessat contrariè, & æquitate ita postulante, non obligat. Probat verò ulterius, Cajetanus, tunc non esse locum æquitati, quando lex solum deficit negativè, sed tantum cum contrariè, ex definitione æquitatis. Nam æquitas est justitia quædam s. *Ethic. c. 10. Thom. 1. a.* ergò materia illius, inquit, sicut & aliarum specierum justitiæ est operatio talis, quæ sine ipsius æquitatis directione recta non esset, sicut neque commutationes sine commutativa justitia, distributiones sine distributiva justè fieri possunt: illæ igitur operationes quæ de-*

clina-

clinarent à recto servando legem universalem sunt materia æquitatis: hoc autem solum accidit, quando cessat lex contrariè non negativè, nam quando cessat lex negativè, observando tunc legem nihil mali perpetratur, ac proinde neque emendatione indiget æquitatis, quia à recto non deficit. *Vide apud eundem plura.*

5. Rectè hisce asserit *Cajetanus æquitatem tunc solum locum habere contra legem, quoties lex deficit in casu singulari contrariè, non tamè si deficiat finis legis in casu singulari negativè.* Ratio hæc est: *quoties enim casus aliquis sub verbis legis comprehenditur, etiamsi ratio seu finis legis in casu deficiat, servari potest lex sine peccato; & ita non dicitur lex tunc deficere ut per *Interdum sive* æquitatem corrigatur.* Nihil etiã obè, si finis & ratio legis in uno casu ( dummodo in universum & ut plurimũ non ) deficiat quo minus in casu illo singulari obliget, *e. g. lex esto: Murum nemo ascendat, si ascenderit capitale esto. Causa est ne hostis vel proditor occasionem perdendæ civitatis aucupetur. Cajus vir optimus & patriæ amantissimus est, cujus salus ex salute patriæ pendet, itaq; periculum nullum est, ne ipse murum ascendens periculum creet patriæ. cessat ergò in eo casu legis causa. quia tamen manet in communi, & meritò legislator ea lege etiam optimos cives comprehendit, ut improbis occasionem præcideret, tenebitur ex lege Cajus.* Si enim is ascendat, multi sequentur, qui se quoq; patriæ amantissimos asseverabunt, ita improbissimo cuiq; id concedetur. Cum verò deficit lex contrariè, h. e. ratione alicujus circumstantiæ non potest observari sine absurdo & peccato, tunc verè per æquitatem corrigenda est.

6. *Tandem dicimus locum non habere æquitatem, quando lex deficit in casu singulari propter privilegium; tunc enim non deficit propriè, sed ipse legislator voluntate sua ex ratione aliqua, à communi lege illum, privilegium cui concessit, exceptit.*

C

SE-

## SECTIO VI.

### De jure talionis.

1. In legibus *XII. tabb.* just talionis sancitum fuit his verbis: *Si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio esto.* Apud Gellium *lib. 20. noct. Attic. cap. 1.* Phavorinus Philosophus cum Sexto Cœcilio de æquitate hujus legis disputat, eamque Romanis in usu fuisse testatur. *Aristotel. 5. Ethic. c. 8.* illud præcisè consideratum in neutra justitiæ particularis specie locum habere asserit.

2. *Non in distributiva.* Non enim fieri potest ut patiatur quis eadem, quæ in Rempubl. contulit. Si enim quis patriam servaverit, quid contra à Rempubl. ut par referatur gratia suscipiet. *Vel* si quis magistratum pulsarit, non satis erit, rursus si percutietur, sed pœna majori affici debet. *Iniquum quoq; est,* qui convitiatus sit alicui intra privatos parietes, idem referri convitium in theatro aut confessu publico. Magna enim hic occurrit circumstantiarum varietas, quæ sanè si non attenditur, injuriâ aliquis facilè affici potest, cum multum interfit, utrum volentes vel scientes, invitè vel per imprudentiam peccamus. Et hoc est quod ajunt *Jcti, ex facto jus oriri,* h. e. pro factorum seu circumstantiarum varietate jus & injuriam discerni *l. si, ex plagis 52. §. 2. ff. ad leg. Aquil.*

3. *Non in commutativa;* quod non semper simpliciter similium atque æqualium rerum fieri queat commutatio, ut ferri, auri, ligni, frumenti &c. & quod indigentia humana in contractibus omnia ponderet. Indigentia enim crescente, rerum augetur precium. *Talionis Mosaica* moderationem à Deo ipso traditam esse, accuratè deducit *Admodum Rever. & Amplissimus Dn. D. Gerhardus fautor noster pl. observandus l. de Magist. Polit. §. 259.* ubi inter alia adducit *Paulum Fagium in notis ad Chald. paraph: Deut. 19. §. 21. ita commentantem:* Hæc lex talionis, animam pro anima, oculum pro oculo &c. author Rabbi Ranam

Kanam, ut à Bachai citatur, nunquam est observata: nam, præter Scscripturam ex traditione ait constare, quod non oculus pro oculo, sed æstimatio oculi pecuniaria reddatur &c.

## SECTIO VII.

### De iudice.

1. Licet bonus iudex, executor qui est justitiæ, nihil ex arbitrio suo faciat & domesticæ voluntatis proposito, ut ait *Ambrosius sermon. 20*; sed juxta leges & jura pronunciet, statutis juris obtemperet, non indulgeat propriæ voluntati, nihil paratum & mediatum domo deferat, sed sicut audit ita iudicet; ipsius tamen officium est circumstantias diligenter perpendere, & legitimam, æquitatiq; convenientem, generalis cujusdam legis in certo quod. in casu, indagare interpretationem; vel ex verbis, si scilicet non satis sint perspicua aut ambigua, vel ex mente & sententia totius legis.

2. *An verò illo secundum acta & probata, an secundum conscientiam iudicare debeat?* controvertitur. Sit talis casus: *Cajus homicidii reus postulatur: testibus tribus productis ipse ejus criminis tali vel tali hora admissi convincitur. Iudici tamen certissimum est ipsum esse innoxium, quia forte totâ eadem ipsa nocte & horâ Cajus domi suæ adsederit insomnis. queritur ergò an hoc in casu iudex ille secundum acta & probata, an suam conscientiam iudicare debeat?*

3. Respondemus, *presupposito* per conscientiam in casu nostro intelligi certissimam & exploratam scientiam (*in dubio enim & ubi de facto iudex incertus est concedimus iudicem ab actis recedere non debere*) secundum eandem illi iudicandum esse, monetur enim iudex ex animi sententia iudicare *l. 3. §. ff. de testibus*, innocentem non condemnare *Exod 23, 7.* veritati non mendacio locum dare *v. 1. & 2.* id quod tamen de iudice superiori intelligendum. *Inferior enim, à quo appellari potest,*

est, si contra acta secundum conscientiam pronunciat, non  
benè innocenti prospicit. quia iudex appellationis actorum  
fidem est sequuturus. Ideoq; fortassis commodius erit, si hic ju-  
dicio abstineat, suoque jure salvo, causam hanc ad superiorem  
remittat, ut ita coram illo virtutis & innocentiae accusati testi-  
monium majori spe atque fiducia perhibere possit, ac inno-  
centem fortassis servare. *Vide de hac questione inter alios Ger-*

*bardum nostrum loc. alleg. §. 291. & Amplissimum Dn. D.*

*Arumæum Jctum celeberrimum fautorem nostrum*

*pl. honorandum Exercit. 6. in*

*parag.*

**F I N I S.**



00A 6297

ULB Halle

3

002 927 276




56.


VD 14

Refr.









Auspiciis Sacrosanctæ & individuæ Trinitatis  
*Exercitationum Erbicarum*  
Disputatio Octava  
De  
**JUSTITIA.**  
*In Inclytæ Jenensi Academia publicè*  
*proposita,*  
PRÆSIDE  
**M. HIERONYMO PRÆTORIO**  
Hamburg. Phil. Pract. Profess. P.  
RESPONDENTE  
HIPPOLYTO HUBMEIERO  
Gottingensi-Sax.  
*ad diem 24. Decemb.*  
in Auditorio majori.  
J E N Æ  
TYPIS VIDUÆ WEIDNERIANÆ,  
ANNO 1628.

45.

